



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs
Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus
plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione Editio
Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener.
Sacramenti ...

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1629

In Festo S. Ioannis Baptistæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56262](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56262)

scientia ac virtute instructum. Ita namque in Apostolorum de illo refertur historia: *Erat vir bonus, plenus Spiritu sancto & fide.* Quæ loquendi ratio denotat, non communes illum ac mediocres duntaxat virtutes, scientias, aut gratias habuisse, sed reuera excellentes, & in summo perfectionis gradu. A deo ut Spiritu sancto repletus fuerit, per perfectam quandam castitatem, in anima, per feruentem quandam prædicationem, in ore, per diligens bonorum operum exercitium, in manibus; per abundantiam sapientiæ, in mente; per ardentem charitatem, in desiderijs; in anima denique, per eminentem quandam gratiam.

Iam satis superque, Auditores, in gloriosi huius Apostoli laudibus & perfectionibus recensendis inhæsimus: materia paria non occurrant verba; nec finem eius haberet oratio, qui longiorem earum texere seriem vellet. Satius proinde & utilius puto illius virtutes imitari, quam mirabilia deprædicare. Eius igitur vitam ob oculos ponite, labores perpendite, martyrium obstupescite: vita siquidem illius sanctissima fuit, labores innumerari, & mors dirissima; viuis namque Salamine Cypri virbe flammis fuit adiudicatus.

S Barnabas
vini com-
burio nece-
tus.

Quor vero tibi, gloriose & illustris Apostole, nominibus deuncta est Ecclesia? quantum tibi fideles omnes, & vniuersus terrarum orbis debet? Tu quippe inter primos Ecclesiæ præcones, inter principes religionis columnas, inter feruentissimos veritatis prædicatores, inter fidelissimos Iesu Christi famulos, inter præcipuos vineæ Ecclesiasticæ cultores dignus es censeris. Hem! quor ipse cruciatus pertulisti, vt crucem Dominicam exaltares? quor regiones & prouincias peragrasti, vt barbaros Christo assereres? quantum viarum exnaustisti, vt animas Christo lucrificares? quor pro amore Dei & eius gloriæ incremento ignominias, iniurias, opprobria persecutiones pertulisti? Si nimirum vitæ tuæ dies impendisti, ætatem omnem dedicasti, sanguinem effudisti, & vitam denique consecrasti. Hinc gloria te omnipotens cumulauit, immortalitati nomen tuum mundus dicauit, & omnigenos tibi Ecclesia honores, triumphos & laudes detulit. In honorem illa tuam festiuitatem instituit, bo-

numque vitæ tuæ sanctissimæ odorem sanctitatemque filiis suis ob oculos ponit, & ad imitationem eiusdem neminem nõ inuitat, vt postquam in hoc mundo nos, tui adinstar, deserimus, in altero exaltari mereamus, ad quem nos Pater, Filius, ac Paracletus Spiritus perducere dignetur, Amen.

IN FESTO S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Partitio.

1. De Baptistæ incomparabili excellentia.
2. De admiratione ista: *Quis putas puer iste erit?*
3. De dotibus gratiosis Ioannis.
4. De Vita eius eremitica & factis.
5. Vnde & quibus sit Magnus?

Quis putas puer iste erit? Luc. i.

FIGVRA.

VETVS Testamentum virum nobis depingit, cui vulgo nomen Elias, Dei obseruantissimum, vitæ austeritate celebrem, zona pellicea velut cilicio ad renes accinctum, acerrimum peccantium, ac flagitiosorum vindicem, & honoris diuini zelo feruentissimum, similem omnino hodie nouum Testamentum depingit, cui nomen Ioannes Baptista, cuius vita, virtutes, & mores sunt penitus admirabiles: qui priori per omnia similis exstitit. Elias erat Propheta, Ioannes plusquam Propheta: ille verba ignita & flammantia loquebatur, hic lucerna ardens & lucens: ille à coruis pascus est, & non nisi frigidam in deserto habebat: hic locustis & melle siluestri in solitudine Palæstinæ, quod apes illi præparabant, victitauit: ille impium Achab & sanguinariam Iesabelem insolescentes castigauit, hic vero aduersus nefarium Herodis Herodiasque incestum coarguendo iusurrexit, mira in vtroque similitudo & harmonia, & magna utrimque prodigia: quæ latius vobis deducam, si prius Spiritum sanctum adorauerimus & gratiam ab eo postulauerimus, virginemque Deiparam saluta-

4. Reg. i.

nerimus

uerimus, sua ut opem nobis adesse & intercedere dignetur: idcirco communi supplicatione Angelicis eam verbis compellemus.

Ave MARIA.

I.
Apoc. 10.

Apocalypseos mysteria contemplant & penitus intueus, admirabilem video Angelum, qui duas pedum loco columnas habet, quarum hæc terræ, illa mari insistit, quibus corpus è nube efformatum fulcitur: facies illi solis instar refulget, caput irida conuectitur, cuius extremitates terram versus vergebant, quæ oculis eius lachrymas eliciebat: leonis instar rugiebat, iurabatq; breui mundum consumendum & iudicium in fortibus adesse. *Iurauit per sicutem in sacula seculorum, quia tempus non erit amplius.*

Ioan. Baptista in Angelo Apocal. descriptus.

Cum figuram hanc accuratius intueor, dicere ausim, Angelum hunc Ioannis Baptistæ nostri typum fuisse, qui à Prophetis etiam iam olim Angelus meiuit appellari. Tobias autem instar columnarum habet, ut hinc illius soliditas & constantia appareant, quodque Ioannes non fuerit arundo ventis agitata, sed solida quædam columna basi firmissimæ innitens: pes vnus terræ & alter mari insistens, quod clementum non minus inconstantis, vagum ac mutabile, quam terra solida, constans & immobilis: symbolum sunt legis, tum veteris, tum nouæ. Illa enim varia & inconstans quæque aliquando abroganda & abolenda esset: hæc vero perpetua & sempiterna. S. Ioannes autem tantus fuit & tam late patens, vitamq; ut sit legem complexus, pede vno veterem, altero nouam premens. Corpus adhæc habet è nube compactum & coaptatum, quod Ioannes corpus adeo tenue & exhaustum ieiuniis habuerit, ut non carneum, sed aerium & è nubibus efformatum videretur, quia sine cibo aut potu propemodum vitam trahebat, *Erat neque manducans neque bibens.* Leonis præterea instar rugit, & lachrymarum flumina emittit, quia eremicola noster in solitudine egit penitentiam, & mundi delicta lachrymis expiauit. Denique capite iridem præfert velut arcum, qui in bello & conflictu vsu venire solet, ut hinc fieret manifestum, Ioannem edocturum, re-

gum cælorum pugnando & violentia & certaminibus comparari.

Quid in hoc Angelo deest, quod non Ioanni commode aptari possit? Malachias Propheta eminus eius virtutes & merita præuidens, plasmam hominem illum esse ait, nihilque ex homine participare, sed Angeli nomen illi assignat, *Ecce ego mitto Angelum meum, & p. aparabit viam ante faciem meam:* non quod natura quidam Angelus fuerit, ut stolidè nonnulli cum Origene crediderunt, sed gratia duntaxat & functione, quod lóge maius ac dignius, ut enim quamuis pannus auro & argento intertextus laneo sit dignior & pretiosior: tamen hic ita insigniri & artificis manu ita exornari opem phrygio potest, alterum ut sit pretio antecessurus: ita quoque se res habet cum homine & Angelo. Licet enim hic illo natura dignior sit & excellentior, ita tamen per gratiam sublimari homo potest, ut Angelo sit futurus superior ac maior.

Tradit in naturali sua historia Plinius Lissippum sæculo suo sculptorum facile principem duas Alexandri Macedonis statuas efformasse, vnâ solido ex argento, alteram è marmore: marmoream tamen excellentiorem fuisse ac pluris æstimatam: ob argenteam enim nonnisi duo talenta à Rege tulit, sed ob marmoream viginti; hæc superabat, scilicet, materia, illa, artificio & elegantia. Idem de homine & Angelo dixerit: & ambo imago sunt diuina efformata manu, & ambo magnum illum potius vniuersi creatorem artificem nacti. Angeli quidem natura dignior & augustior, quod nobilior, liberior, & penitus spiritualis sit: at gratia ascendere potest in homine sublimius, quemadmodum in Ioanne Baptista ascendit, adeo ut de angelum transfessura sit: & sane homines, quantumcumque viles & plebei, per gratiam maiores & eminentiores ipsis Seraphinis, Cherubinibus, & omnibus Angelis fieri possunt.

Fuit hæc opinio magni Patris Ioan. Chryso-
stomi, qui in homilia de laudibus Ioan. Baptistæ ait, *Gloriosius fuit Ioanni, quod cum homo esset, Angelus vocaretur, quam si illud esset & nomine & natura.* Nec omnino id abs-

Malach. 3.
Ioannes dicitur
fuit natura
Angelus,
sed gratia
duntaxat & officio.

Homo Angelo maior esse per gratiam potest.

Simile.

re: si enim quemquam regnum aliquod virtute propria & meritis nancisci contingat, maiori hoc illi laudi & gloria futurum est, quam si hereditate & successione legitima patri in regno succederet. Atque, qui natura est Angelus, velut per successione & hereditatem hoc habet, non vero meritis id sibi peperit: Deus quippe ex infinita sua misericordia Angelum illum creare voluit. At Ioannem Angelum esse & gratis ornatu propriis illius meritis id ascribendum, diuina tamen illi gratia ac benedictione celesti auxiliante.

Simile.

Non est mirum aut nouum, egregiam oliuam, in fertiliq; ac feraci consitam solo, terraque pingui & diligenter excolta fructus ferret: dum tamen quoddam sterile in deserta solitudine, locisque serupulosis & arenosis progerminatum, a nemine excultum, fructus proferre longe censendum mirabilius: Angelorum quoque in celo, quod terra benedictionis & felicitatis, opimos amoris, zeli, charitatisq; fructus procreare mirum nulli videri debet; at Ioannem Baptistam, tubam, inquam siluestrem, velut qui deserta incoluerat, eosdem, quos Angelus, fructus producentem cernere, mirandum est, miraculum sapit, eumq; Angelis omnibus maiorem constituit.

S. Ioannes Bapt. solus hierarchia in celo constituit.

Et hæc est ratio cur mellissimus Bernardus & doctissimus Parisiensis Cancellarius Ioan. Gerson dixerint, Ioannem Baptistam, quod per gratiam adeptus esset id, quod Angeli natura habebant, solum Hierarchiam quandam in celo constituere, & neminem sibi parem aut socium habere. Adeo ut si petas ab ijs, quid Ioannes Baptista sit, responsuri sint audacter, esse quid Christo & Deipara minus, ceteris tamen Sanctis & Angelis quid dignius: atque hæc omnium propemodum Ecclesie Patrum opinio est & sententia.

Ser. natal.

Hinc Aug. ait: *Vis scire, quid sit Ioannes non est Deus, non est Christus; Quasi diceret, Deo creatore & Iesu Christo mundi vindice excepto, inter homines sanctos primū ac principē locū obtinet. Quin & alio loco manifesti & audacius ait: Præcellit celo os, eminet vniuersis: quisquis de muliere natus est inferior est illo.*

Sanctus Bernardus vere Christum soli, virginem lunæ & Ioannem lucifero compa-

rans scribit, illum in perfectione sua vnicum esse, & inter homines secundum non habere, *Unus est, inquit, & secundum non habet; Tria namque fecit Deus sine secundo, Christum, Mariam, & Ioannem.* Sanctus Ioannes Damascenus post Christum eiusque matrem sanctissimam tertium Ioanni Baptistæ locum assignat; ac post duos priores præ ceteris hanc creaturis honorandum & colendum dicit. Sanctus Gregorius Nyssenus in illius encomia se effundens turturum. Veris prænuntium illum appellare, eique verba hæc Sponsi in Canticis accommodare non dubitauit: *Imber abiit & recessit, surge amica mea & Veni: vox turturæ audit & est in terra nostra, &c.* Postquam enim hyems rigida legis Moisaicæ pertransisset, Ioannis vox per deserta in clamans, per Ecclesie terram est exaudita.

Post Christi & Deiparæ Ioan. Bapt. honorandus.

Magnus Doctor Hieronymus Principem Epist. ad illum nuncupat Anachoretarum, & Eremitarum primipilum. Quin & pater ipsius Zacharias futuram illius dignitatem auguratus & prælagiens, iam inde ab incunabulis puerum Prophetam Altissimi vocare non est veritus: *Et tu puer Prophetæ Altissimi vocaberis.* Alij non prius Prophetæ dicebantur fiebantque, quam ad virilem ætatem peruenissent, at hic Prophetæ fuit etiamnum puer. Ioannes Euangelista, qui eiusdem consanguineus erat, illius horoscopum constituens, vocauit hominem à Deo missum: *Fuit homo Ioan. missus à Deo; cui nomen erat Ioannes.*

Luc. 11

Post elogia & encomia illa hominum si & celestia & Angelorum audire est animus, Archangelum Gabrielem eius natiuitatem prænuntiantem; huiusmodi de illo dicentem ac prædicantem audietis, qualia de nullo vquam mortalium dicta memini; quod scilicet magnus coram Deo futurus esset, Spiritus S. iam inde à matris utero replendus: *Erit magnus coram Domino, Spiritu S. replebitur adhuc in utero matris sue.* Ipse quin etiam Christus, hominum simul & Angelorum Rex, post humanas & Angelicas prædicationes maximum omnium qui vquam inter homines nati esse censuit, vnde apud Matthæum legere, *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, &c.*

Matth. 11

Regum

7. Reg. 15.

Regum historia quemdam villicum in deserto Pharan & Carmeli habitantem describens, inter cetera ait, quod magnus esset, & in omnibus potens: *Erat autem vir quis, nam in solitudine Masin, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis.* Veterem hanc historiam nouæ adaptando, & figuræ veritati, qui desertum Palæstinæ & Iudææ solitudines adite voluerit, maximum ibi vitam reperiet: quo nullus vnquam maior exstitit. Ita namq; de illo testatus est Christus: *nier natos multorum non surrexit maior Ioanne Baptista, &c.*

1. Reg. 9.

Eodem in libro Samuel mores, vite rationem, corporisque habitum & formam Saulis describens ait, illum electum à Deo fuisse, omnium Israelitarum sanctissimum, & tantæ proceritatis, vt capite & ceruicibus altis reliquo populo quasi gigas & colossus superemineret: *Et erat eius ius vocabulo Saul, electus & bonus, & novus erat vir de filiis Israel melior illo, ab humero & sursum, eminebat super omnem populum, &c.* Qui omnes hæc proprietates examinare voluerit, & æqual lance ponderare videbit confestim, hæc maiori cum ratione de Ioanne nostro dici posse; ille enim electus à Deo & prædestinatus, illius vt foret præcursor, non erat inter natos mulierum vir melior illo, perfectior aut dignior, & omnes mundi populos non capite & humeris, sed gratia, perfectionibus & meritis superabat.

1. Reg. 30.

Idcirco Salomon sancti huius viri vitam miraculosam prodigiosamq; contemplatus, inter cetera paradoxa, & inter quatuor sibi ad comprehendendum difficilia, illam ponit, *Tria sunt, inquit, mihi difficilia, & quartum penitus ignoro, viam Aquilæ in celo, viam nauis in medio mari, viam colubri super petram, & viam viri in adolescentia sua.* Per primum nonnulli Ioannem Evangelistam intelligunt, qui Ammon nequitæ quæ Salomonem nequitæ comprehendere. qui nauis Ecclesiæ rector constitutus, magna omnium admiratione, non sine miraculo, super aquas ambulauit; per tertium Christum Dominum à mortuis è sepulchro resurgentem, qui serpentis instar tam subtiliter super & per sepulchri petram repit, nullum vt vestigium reliquerit; per quartum deniq; Ioannem Baptistam, ille enim portentum & miracula

Bessetom. 3. De Sanct.

culum quoddam naturæ fuit, quod in pueritia, imo infantia, vir fuerit, & rationis ac iudicij vsu nactus sit.

Hoc est, quod hodie omnes homines demirantur, hoc est, quod vniuersa Iudæa obstupescit, hinc est, quod amici & vicini Zachariæ, viso puerum hunc tam miraculosa ratione, totque portentis præiis nasci, ad inuicem dixerint, *Quis putas puer iste erit?* Hoc hodie in concronis thema de legi, ac velut fundamentum panegyricos huius viri; quam vt digne prosequar & debita ratione ac methodo qua cõsueui deducam, à mirabilibus, quæ in vite exordio & natiuitate contigerunt, exordium sumam; ac deinde quæ in totius vitæ ferie eluxerunt prosequar; quibus duobus ostendam, vosq; omnes fateri cogam, nullam vnquam virum in terram aut sanctiorem aut maiorem cœlitus destinatum fuisse.

II.

Quod ad primum atinet, cum admirabilem mirabilis huius infantis natiuitatem cõsidero, præter communem naturæ legem, præter ordinem vulgarem, & non sine miraculo, cœlum terramque gaudio & exultatione replendo, illam in lucem prodire video. Multa quidem magna que, quæ in infantium multorum natiuitate contingere prodigia, tum sacra, tum profana referunt historiæ, nulla tamen, quæ cum Ioannis natiuitate comparanda sint, legere apud quenquam memini. Legimus Zoroastrem Egypti regem, & idololatriæ magiq; inuentorem, mox vt natus est risisse; Elau vero & Iacobum matris in utero calcibus se inuicem petiisse. Phares & Zaran, cum jam jam in lucem edendi essent, vnus manum vtero exeruit, cui oblitrix coccinatum fasciam alligauit. *Atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua oblitrix li. aut coccinum.* Tradunt alij Sancto Ambrosio nato & is eunus posito, examen a pupa aduolasse, & cunas circumsepisse, quod denotatum fuit, melle dulciorem eius sermone futurum, & eloquentiæ illius dulcedine omnes demulcendos. S. Nicolaus vix in mundum venerat, quin ieiunium & abstinentiam sectatus, diebus Mercurij & Veneris vbera sugerenoluerit. Qui S. Dominici vitam & D. Domini miracula conscribere, tradunt matrem eius, ci matris dum adhuc vterum ferret, in somnis vidisse, somnium.

Natiuitates
pærorum
mitabiles.Gen. 26.
Gen. 38.Apes in
Ambrosii
cunis mel-

Xy

cancra

canem in vtero se ferre, qui facem ore, & frōte stellam præferret, quod certissimum futuræ illius doctrinæ ac vitæ sanctitatis erat præsigium. At quod hodie in Ioan. Baptista natiuitate cernimus, longe rarius & admirabilius est, & magis percellit, & admiratione cōplet, vnde merito quotquot viderunt, dicere obstupescentes potuerunt, *Quis putas puer iste erit?*

S. Lucas hæc omnia describens ait, *Mirati sunt vniuersi*: hæc autem admiratio & stupor vicinos & cognatos multa dicere & augurari de puero hoc, & varias sibi coniecturas effingere, ac plurimis eum patriarcharum similem fore, præsigire coegit. Dicebant siquidem hi, secundum hunc Noe futurum: nam vt Noe vere Ianus biceps duo viderat sæcula, vnum ante, alterum post diluuium, ita quoq; puer hic, vetus legis Mosaicæ & nouum Euangelij & gratiæ sæculum vidit. Illi vero alterum Abraham; nam vt hic fidei & credentium pater fuerat, ita hic venerat, *vt omnes crederent per illum*. Erant qui dicerent nouum futurum Haac, quod sicut hic filius risus & gaudij appellatus fuit, & pater eius centenario maior, audito sibi filio nasciturum, rei nouitate percussus, effuse risit, ita Ioannes nascens omnes gaudio & exultatione repleuisset, *& in natiuitate eius multi gaudebunt*.

Alij vero aliud comminiscens spargebant in vulgus; fore nouum quendam Iacob; nam vt Patriarcha ille scalam viderat, quæ vna extremitate terram, altera cælum tangebatur, ita quoq; Propheta hic cælos viderat apertos. Credebant alij nouum Mosem fore; sicut n. ille populum Dei per desertum deduxerat, ita hic a teneris annis solitudinem incoluit, & penitentiam promulgauit, omnes ad eandem inuitans,

*Antra deserti teneris sub annis
Cruentum turmas fugiens peristi, &c.*

Alij deniq; augurabantur, Eliam quendam futurum zelo plenum; prædixerat enim Angelus de eo, *ipse præcedet in spiritu & virtute Elia*, atq; ita diuersa de puero hoc prædicentes, eiusq; horoscopum examinantes, omnes sibi mutuo dicebant, *Quis putas puer iste erit?*

Quod vero omnes in admirationem rapiēbat, & maxime percellēbat, erat, quod præ-

ter naturæ ordinem & communem nascendi tre sterili gignendiq; consuetudinem nasceretur, è paratus. tre scil. sterili & matre infœcunda. Ita porro id destinauerat Deus, vt pueri huius natiuitas eo foret admirabilior; quod cum Zacharias pater distidens non credidisset, & Angelo natiuitatem eius denuntianti fidem nõ adhibuisset, *perdidit promptæ modulæ l. quela*: Cū vestibulum aliquod palatii magnifici cōstruendum est, siccum & aridum quarilignum solet, ne si viride sit, opus hiet, rimas agat, ac proinde ad normam aptari nequeat; ne vero lignum putrescat, luna minuente putari solet. Ioannes Baptista porta ac propylæū fuit, per quod Christi & fides, & cognitio in mundum introiuit, ideo è ligno arido illum cōstrui oportuit, id est, è parentib. senibus, sterilibus, frigidis, & incorruptibilibus nasci.

Et sane cum Ioannis generationem natiuitatemq; considero, Isaac natiuitate videre videor, qui matre sterili & nonagenaria natus est; atq; ideo filio nato admirans secum ait, *Resum feci mihi Deus, & quicumq; audierit, corridebit mihi*. De Elisabeth, quæ natura sterili, purperio hodie dictum, filium genuisse, in cuius natiuitate omnes sint gauisuri & exultaturi. O prodigia, & miracula, o natiuitatem admirabilem! in qua miracula illa, quæ in deserto jam olim contigerunt; mihi videre videor.

Legimus in Exodo petram in Sinai deserto virga percussam aquam emisisse, qua omnis exercitus potatus & ad aquarum fuit, cuius rei Dauid in Psalmis meminit dicens, *derupit petram, & fluxerunt aquæ*: & alio loco, *Qui conuertit petram in stagna aquarum*.

Hic vero videmus duas quasdam petras, vnam senectutis, & alteram sterilitatis, diuinę omnipotentię virga percussas, magnum gratiarum & virtutum torrentem, Ioannem Baptistam scilicet emittere, qui synagogam omnem in deserto aquis baptismalibus refecit & irrigauit.

In eodem quoq; deserto cum manna celo decideret, omnes admirantes exclamarunt, *Manhu*, quid est hoc? quæ nouitas? quæ miracula? & ecce cum hodie in deserto sterilitatis & senectutis, filius velut manna quoddam descendit, omnes admirantes exclamant & stu-

Comparatur Ioan. veteribus Patriarchis.

Gen. 28.

Matth. 3.

Exod. 14.

3. Reg. 7.

Luc. 1.

Ioannes pater & ma-

Simile.

Gen. 17. & 21.

Exod. 17. Num. 10. Deut. 28. Psal. 104. Psal. 104.

Exod. 16.

pen-

peites, *Quis putas puer iste erit?* quid de puero hoc futurum?

Esterili matre quod nascentem videant admirantur, eque sterilitate augurantur puerum hunc magnum fore & singularem. Omnes enim quos scriptura ex infecundis matribus genitos prodit, admirabiles, rari, eximij & ceteris prestantiores existere. Qualis Isaac e Sara nonagenaria progenitus, in quo omnes gentes benedicendas Dominus promisit. Iosephus e Rachele, qui totius Egypti constitutus vicarius, & totius mundi saluator est nuncupatus. Sampson naturae miraculum, Prophetarum gloria Samuel, alijq; plurimi. Quorum quidem omnium natiuitas admirabilis extitit, at non adeo mirabilis, quae cum Ioannis Baptistae natiuitate conferri poterit, quae omnes percellens & obstupescens dicere cogit vicinos, *Quis putas puer iste erit?*

Futuram magnitudinem e mirabilibus, quae in natiuitate illius contigerunt, augurantur. inter cetera vero, quod in matris utero fuerit sanctificatus, quam & Angelus suo prius calculo confirmauit, *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* Arca Testamenti Iordani cum accederet, aquae diuisa sunt, & utrimq; conglobatae montem effecerunt: quod Psalmista Dei mirabilia in deserto patrata recensens, non est oblitus, at loquens velut de re insolita & noua per apostrophem ait, *Quid est tibi mare quod fugisti? Et tu Iordanis quia conuersus es retrorsum?* Idem in natiuitate gloriosi pueri contigit, quamprimum enim ut naturae territorium attingit, peccati originalis mare fugit, & diuinorum iudiciorum, quae in omnes homines extendebantur, Iordanis stetit; *Mare vidit & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum.* & addam amplius; *Montes exultauerunt ut arietes;* fide inquam intellectus, charitate voluntas & spe memoria.

Iob paupertate aut potius miseriam natiuitatis suae exponens, quae tamen illi eum alijs hominibus communis, lachrymans dicebat, *Nudus egressus sum de utero matris meae:* quo loco non tam de corporis quam de animae nuditate loquebatur. Certum est enim, omnes nos nasci nudos tum corpore, tum anima, corpore vestibus destituto, anima gratijs.

At non Ioannes, quamuis enim corpore nudus sit natus, non tamen quoad animam, ut pote, cui data sit gratia iam inde a matris utero.

Tanta inquam gratia, quaeq; tantopere illum exornauit ac confirmauit, nunquam ut toto vitae tempore mortaliter peccarit. Nam Diuus Thomas docet, *Sanctificatus in utero creditur prestitum esse, ut de cetero mortaliter non peccarent.* Vnde quidam Sanctus Abbas preconia sancti huius decantans, sanctitatem illius, originalem sanctitatem dixit, quod ea in matris utero receperit, quam deinde nunquam amisit. Imo docet Galatinus & Abulensis, nunquam illum ne venialiter quidem peccasse, verbis Ecclesiastici hymni innixi: *Ne leui saltem maculare vitam fame posses.*

Paltes regius hominum natiuitatem & conceptionem describens, & calamitatem, quae illos semper etiam ab utero sequi solet, ait, *Alienati sunt peccatores a vulua, errauerunt ab utero.* Hoc quidem locum habet in ceterorum hominum ortu, non vero in Ioanne Baptista, qui ab utero matris Elisabethae cum Deo vnitus & coniunctus fuit, & gratia a Spiritu sancto repletus. Adeo ut de eo cantari illud possit, *Domine, praenatum in benedictionibus.* Vere enim benedictionibus caelestibus prauectus fuit, quas deinde vniuersae communicauit Iudaeae.

Est in insulis Fortunatis, quas Canarias III. vocant, arbor, quam *Amquam* dicunt, quae ab ipso exortu suo rore pasta, & quotidie eundem recipiens, omnibus insularis aquam velut fons aut scaturigo suppeditat. Talis fuit etiam Ioannes noster, & rara quaedam per Iudaeam planta, nam iam inde a matris utero cum gratiam, rorem inquam illum caelestem, recepisset, & eadem semper deinde passus esset, omnibus deinde, qui eam audiuerunt, eandem communicauit, & cognatis & vicinis occasionem dedit dicendi, *Quis putas puer iste erit?*

Vere admirandum ac stupendum est infantem in utero matris subsultare & exultare praegaudio. Esau & Iacobi motus ac concussio matri molesta & displicens fuit, quod inter se colliderentur & sese mutuo oppugnarent.

Gen. 11.

Ioannes in
utero ma-
tris sanctifi-
catur.
Luc. 11.
Num. 4.
Psalm. 114.

3. p. q. 27.

4. 6. ad 1.

Guerritus

serm. 1.

Lib. 7. c. 9.

Psalm. 57.

At Ioannis motus matri gratus & iucundus fuit. Nam vt prolem ad Meliã præsentiam in Deipara aduentu exultare sentit, gaudio & lætitia plena cognata dicere cœpit, ei ob visitationem gratias agens, *Vi facta est vox salutationis tua in auribus meis, exalt ut infans in utero meo: Quod egregia figura faciet manifestius.*

1 Reg. 6.

David Iudæa Rex coram arca Domini saltavit, & magna gaudij & jubili signa ostendit, *Et David percutiebat in organis armarum, & saltabat totis viribus ante Dominum, &c.* Ita Ioannes coram arca nobilitati, excellentiori, Deipara scilicet non tabulas legis, sed ipsum legis auctorem in se continebat, exultat & subilit, inque matris utero præ gaudio tripudiat.

Comparatur Ioannes cum acus nautica.

Acus nautica ubi magnetem tetigerit, ad Boream semper vergit, & sidus boreale ostendit. Ita Ioannes, vera legis nouæ acus jam inde à natiuitate à Spiritu S. gratia tactus, non stellam modo poli, sed magnum illum mundi solem lætitiæ & exultationis signis demonstrat.

Item cum monte.

Atq; vt altus quidam mons, qualis Athos, Atlas, vel Caucasus, citius à sole illuminatur quam depressa quædam vallis aut obscurus senticetum, eius quoq; exortum denotat citius: ad eundem quoq; modum Ioannes, nofter, qui quo ad perfectionem altus quidam vertex fuit, prius à Christo quam reliqui Iudæorum inspiratus & illustratus, citius etiam illis ipsius exortum & aduentum annuntiauit, ad illius præsentiam etiam ante exultans, quam in mundo natus esset, *Exultauit infans in utero.*

Item cum lynce.

Novam hic videte lynxem, quæ oculos adeo viuidos & perspicaces habet vt non parietes modo & januas, sed maternum & virginalem simul uterū visu penetret, & in eodē Creatorem ac Redemptorem suū perspiciat. Quid dicitis ad hæc pernicaces & contumaces hæretici, qui in matris utero conclusus Messiam videt in alio etiam utero oclusum, & eum salutat; cælo jam receptus & gloria perfuens, & oculos jã subtiliores, & penetratōres habens ea, quæ in hoc mundo fiunt, non videbit, & nostras preces non audiet vel

intelliget? sed de his alias. Jam in natiuitatis illius mirabilibus pergamus.

Si repentinã hæc in utero exultatio fuit admirabilis, rationis vsus, per quem à Deo, juxta Augustinum & Anselmum, præuentus fuit, longe etiam est mirabilior. Esse, tradunt herbarum scriptores, florem, cui nomen, *filius ante patrem*, cui hoc mirabile à natura datum, vt prius fructus ferat, quam floreat. Talem fuit & Ioannes nofter, fructus enim tulit tequam flo amplissimos, antequam floruisse, Christum, que adorauit antequam loqueretur, saltavit & exultauit, antequam nofter incedere; credidit prius, quam natus; iudicio & rationis vsu polluit, priusquam ad ætatem venisset maturam; denique vir fuit & sapiens, antequam puer & linguam mouere posset.

In Genesi leguntur arbores fructibus ornata à Deo creata fructusq; ante flores apparuisse. Videte vero hic novam quandam arborem in medio synagogæ cum pleno rationis vsu plantatam, id est, genitam. Præcoeces & præmaturus hos fructus naturæ florem & ætatis præcedere, nouum penitus & mundo inauditum.

Aaronis virg. floruit, & simul fructum eadem nocte tulit, quod miraculum omnes Hebræos in admirationem perculit: *sequenti die Num. 17. regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & ut enitius geminis eruperunt flores, qui flus de arboribus in amygdalas deformati sunt.* Ecce hic quid etiam mirabilis, videmus enim Ioannem eodem quo genitus est momento, rationis vsu pollere.

Constat Solem, omnem luminis fontem, Sol' mox vt ac totius vniuersi faculam, mox vt conditus conditus est, radios quocunq; sparsisse, suamq; claritatem & lumen diffudisse: certum quoque est, cœpit, eodem instanti, quo Ioannes, stella illa matutina, conceptus, rationis iubar & diem illum ostendere cœpisse.

Docet nos experientia, non tamen sine ad. Aues quæ miratione, reperiri auiculas quasdam, quæ cantant mox vt exclusæ sunt ouo, cantillant, incedunt, mox vt odunt, & quocunq; impetus tulerit, cursitant. no sunt ex. Idem quoque Ioannem nostrum, præclaram clusam, illam solitudinis auem fecisse comperimus, quam primum enim vt conceptus, Messia: laudes.

laudes decantavit, & ad illius præsentiam ad-
 exationis gressus mouit, in matris utero gau-
 dio exultans. *Quæ omnia adeo noua & in-
 audita vicinis vita, vt omnes admirantes di-
 cant, Quis puer iste erit?*

Cum aurora sole ab Antipodibus reuer-
 so, vt hemisphærium nostrum obambulet,
 iubar effundere incipit, aues cantillare & mi-
 nurire incipiunt, ac iucundissimo concentu
 siluas & agros perstreperè. Ad eundem
 quoque modum, Ioanne nostro exoriente,
 ac velut aurora horizontem nostrum illu-
 stratura, iustitiæ Solem Christum præceden-
 te; omnium auium genera cantillare, &
 suauissimam edere harmoniam incipiunt:
 nam auis illa paradifica, illa cæli terræque
 Phoenix, Deipara inquam virgo cantat: *Ma-
 gnificat anima mea Dominum. Mulus quoque
 Zacharias; Benedictus Dominus Deus Israel.*
 Angelica etiam aues, *Magnus eris coram Do-
 mino & c. Deniq; vicini & cognati, Quis putas
 puer iste erit?*

Cum hanc Zachariæ vicinorum interro-
 gationem audio petentium: *Quis qualif-
 ue puer ille futurus est? respondere illis pos-
 se videor, quod olim mystica Salomonis
 sponsa ad interrogationem, quam propo-
 nebant ei Israelitides dilectum quærenti,
 Quis est dilectus tuus ex dilectis, & pulcher-
 rima mater tuam? Quibus illa respondit: Di-
 lectus meus candidus, & rubicundus, electus ex
 millibus.*

Idem, inquam, de puero hoc dicere licet,
 puer hic candidus est, & erit ob virginalem
 pudicitiam, rubicundus ob sanguinem, quem
 in martyrio effudit, electus etiam ex millib⁹,
 quod parem nec habuerit, nec habiturus sit.
 Merito igitur petere possunt: *Quis putas puer
 iste erit?*

Huic vestræ petitioni respondebo, Iudei:
 Astrologum hic agā & genethliacum, eiusq;
 horoscopus examinando, futuram pueri
 huius fortunam, ac fortè aperiam. Cum igitur
 videam, sub benignissimo & fauentissimo
 illum nasci astro, auguror & prælagio maxi-
 mum simul & beatissimum hunc mortalium
 fore.

Solent Astrologi in Principum natiuitate
 per signorum & planetarum aspectum, & si-

derum dispositionem de futura eorum ata-
 ria in pri-
 te, & gestis augurari, num scilicet ad bellum, cipū ortu.
 an vero ad pacem propensuri sint, munifici,
 an ad rem attenti, felices, an infelices. Si Solis
 aspectum in Ioannis natiuitate videre vo-
 luemus, & quo in signo tum fuerit, inda-
 gare, Solem iustitiæ tunc in signo Virginis
 fuisse comperiemus, quod omnium signo-
 rum fortunatissimum, semperq; prosperita-
 tem portendens, & quod fortitudinis ac vir-
 tutis prænuntium. Adeo vt hinc inferre lice-
 at, puerum hunc non nisi maximum & feli-
 cissimum fore, cum sub felicissimo & maxi-
 mo nascatur signo, gloriosa inquam Virgine,
 quam denotauit signum illud Apocalypticū, *Apoc. 12.*
 de quo scriptum legimus: *Signum magnum
 apparuit in caelo.*

Augusti Cæsaris numismata quædam ab
 vno latere capricornum præferunt, qui in
 piscem desinebat, pedibusque anterioribus
 sphaeram premebat. Figura hæc, vt Suetonius
 ait, horoscopus illius designabat, & si-
 gna hæc illius natiuitati præfederunt, atque
 futuram fortunam præsignarunt. Equidem
 maiori ratione Ioannis nostri Baptistæ nati-
 uitatem extollere possum, ac dicere, horo-
 scopo illius denotari, felicissimum & perfe-
 ctissimum illum puerum fore, qui vni-
 quam in terra apparuerit, cum in ipso na-
 uitatis illius puncto solem iustitiæ & Vir-
 ginem Dei matrem, quæ omnium astro-
 rum, quæ in Zodiaco conspiciuntur, beni-
 gnisimaarque optima sunt, videam præsi-
 dentes.

Item Suetonius ait, notatu dignissimum *In vita.*
 fuisse, Neronem Imperatorem eodē tempo-
 ris puncto, quo sol oriebatur, natum; hocq;
 exponens ait, solem nescio quâ ambitione
 motum, in terra prius radijs suis illustranda
 festinasse visum, quam puer hic eandem nas-
 cens tangeret.

Quæto hoc melius de præclaro hoc sancto
 dicendum, eodem namque quo nasci voluit
 tēpore, magnus iustitiæ Sol oritur, videturq;
 reuera prius illum radijs gratiæ suæ afflare
 voluisse, quam terram tetigerit. Quis non igitur
 inde futuram illius sanctitatem augu-
 retur & magnitudinem, & cum alijs dicat: *1. Reg. 1.*
Quis putas puer iste erit?

Alexandri
ambitio.

Prognosticon meum prosequens, magnum illum fore praesagio; atque ideo vnicus fuit. Anna mater Samuelis miraculo primum nacta est filium, & deinde alios naturali ordine; at Elisabeth nullum post hac habuit, quique ita debeat esse vnicus, socium & fratrem habere vt non potuerit. Quod futurae illius magnitudinis vitaeque sanctitatis euidentis praesagium fuit. Atque hoc adeo verum est, vt si sancti sibi inuicem inuidere possent, ingemiscerent & plorarent, Alexandri Macedonis more, qui lachrymar⁹ dicitur, audito Philippum patrem varias per Graeciam obtinere victorias, quasi nihil sibi ad nomen immortale comparandum, fortitudinemque patefacendam in posterum relinqueret; expostulare inquam possent, videntes Ioannem esse Angelum, Patriarcham, Prophetam, Apostolum Dei, martyrem, virginem, doctorem, confessorem, Anachoretam, &c. quasi nisi sibi ad meritum foret, reliquum, cum illi donata fuerint omnia, nullique vquam inter mortales vixerit, cum illo qui sit dignitate comparandus, *inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

Simile.

Solent in musicis instrumentis chordae grossiores, quas bassos vocant, semper singulae tangi, tenuiores vero binae, Ecclesia instrumentum harmonicum est, in qua quotidie Dei laudes decantantur; iusti & sancti chordae sunt, qui semper pares & socios habuere: in cuius duplicitatis combinationis que signum Dominus Apostolos binos ad praedicandum misit, *Misit illos binos ante faciem suam.* At Ioannes Baptista, vox illa velut bassus, *clamans in deserto*, solus fuit, nullum vnquam similem aut parem habuit. Vnde praclare de eo dixit Diuus Augustinus, *Quidquid Ioanne maius est, non tantum homo, sed Deus est.* Quin & Bernardus longius in laudum illius campum excurrans; dicebat, *Maior homine par Angelo, tuba caeli, praeco Christi, arcanum patris.* An non igitur merito cognati petunt, *Quis putas puer iste erit?* Plura igitur de natiuitatis illius miraculis non loquar, iam vitae eius mirabilia prosequenda sunt, atque hoc reliquum panegyricos meae futurum erat.

Luc. 10.

VI. Vitae Ioannis mirabilia ab admirabili infantiae illius austeritate incipiam, quam deinde reliquo vitae tempore seruauit. Non nisi quinque annis in eremum aeger, vt plurima Patrum pars testatur, dum Zachariae patris domum deserens, cessit. & hominum consortium deuotans, mundi honores & voluptates perosus in eremum, vitae austeritatem sectaturus confugit, & ferarum se socium constituit. Ita namque canit Ecclesia:

*Antra deserti teneris sub annis
Cuium turmas fugiens petisti, &c.*

O admirabilem eremicolam! O Angelum incarnatum! Quid tibi o puer innocens cum hoc deserto; cum solitudine, anima purissima? Quid tibi opus cum bestiis viuere, clio tenella membra constringere, tamque rigide in puerile corpusculum desuare? tibi inquam, qui quid peccare sit, nondum nosti, quique in vtero matris sanctificatus es? Non est, scilicet, ad expianda peccata illius haec poenitentia, sed vt exemplo eius edoceantur alij, vitaeque haec schola quaedam est & gymnasium.

Christus olim de illius austeritate apud principes Sacerdotum & Phariseos agens, hoc illum elogio condecorauit: *Veni Ioannes neque manducans, neque bibens, & diuinitatem non habet: venit filius hominis manducans & bibens, & icunt: Ecce homo vorax, & potator vini.* Quis igitur mundo satisfaciatur & vsquequaque placeat? Idem de mundanis quibusdam & libertinis dicere poterem, qui omnium Catholicorum mores sugillant & denigrant, si sint Religiosi, qui nec manducant, nec bibunt, & lacris induantur, idque ad carnem edendam, & poenitentiam ageudam, hypocrite & fucati audiunt, illinc vero Episcopi & Praelati, qui vitam magis saecularem, & ad populum accommodatam agunt, dicuntur prodigi & profusi. Haec scilicet sunt mundi iudicia.

Verum cur Ioannes tam austere ac rigide, Cur Ioannes Christus communiter & familiariter viues austeritate; haec dari solet & potest ratio: Quod Ioannes peccata metueret, ideo ad poenitentiam confugit, & in desertum concessit, at Christus haec non metuebat. Tradunt, qui de ani-

Matth. 11.

Iudicia
sustra
mundi.

animalibus scripsere, Leonem omnium animalium regem non in cavernis & spelunca, sed in via publica & agro sub dio dormire, viribus suis confisum, si vero interdum antra subire contingat, hoc solis declinandi vmbraeque captandæ gratia, non metus causa fit: sed cætera animalia nocte ingruente antra subeunt velut habitacula tutiora. Ita Christus, quod esset leo ille de tribu Iuda, numquam desertum petijt metu aut formidine compulsus, sed semper cum hominibus, & inter homines conuersatus est, quod nihil metueret; si vero interdum solitudinem adijt, hoc quietis & secessus captandi, i. e. Patrem orandi, & aduersus diabolum consilij gratia factum. Sed reliqui Sanctorum, & Ioannes imprimis, peccati & abominationes, quæ in sæculo dominantur, perfecta habentes, desertum veluti asylum & locum refugij delegerunt.

Nullum mortale delictum admittit. Venialiter peccare poterat.

Verum est Ioannem eremum adijt ad venialia delicta vitanda, mortalia n. nunquam admisit; quamuis autem hoc è sacra Scriptura erui nequeat; ad credendum tamen sufficit, in ea reperiri, iã inde à matris utero à Spiritu sancto fuisse sanctificatum; sufficit reperiri illum plusquam Prophetam fuisse, sufficit Christum dixisse, inter natos mulierum illo maiorem non surrexisse: venialia vero committere poterat, quæ ut euitaret, solitudinem adijt, vt se in tuto collocaret, & occasiones declinaret.

Simile.

Qui in ætate aliquo profecturi sunt, ne à muscis importunius diuexentur, summo mane iter aggredi solent, vt sub vmbra incedant, & hanc molestiam fugiant. Peccata venialia muscæ quædam importunæ sunt, quæq; hominibus, interea dum vitæ huius estas durat, molestiam pariunt, atque ideo Ioannes iam inde à vitæ exordientis aurora, id est, quinquennis molestiæ huius declinandæ causa eremum petiuit, & solitudinis vmbra culum captauit. Conceptum hunc Salomon confirmans ait, *Musca morientes perdit suauitatem vnguenti.* id est, peccata venialia, quæ nos muscarum vesparumque instar circumuolitant, tandem in causa sunt, cur gratia, verum illud & cæleste vnguentum, pereat ac persum eat.

Ez. 10.

In eremo igitur viuit, sed Cameli exuijs indutus, vnde Euangelistæ, *Ioannes erat vestitus pilis Camelii.* Qui habitus pœnitentiæ symbolum, non vero subtilis & mollis: testimonium hoc Domini confirmat: *Quid est vultus in desertum videre, hominem in mollibus vestitum? ecce, qui mollibus vestitur, in domibus Regum sunt.* Erat hoc cilicium è pilis camelorum contextum, rude, austerum, durum, sed quod Eremitæ huius animi robur & fortitudinem declararet. Vnde factum, vt Ethnici suos etiam Deos leonum & aliarum ferarum pellibus conuestirent, ad eorum potentiam & robur designandum. Imperatorum quoque Romanorum ea fuit infania ac temeritas, vt huiusmodi gestare exuias pulchrum ducerent, ac loco paludamenti purpurei leonina humeris pellis dependeret, vt ita & Herculem imitarentur, & terribiliores viderentur & horrorem præferre. Hæc Gentilium fuit infania risu potius & ludibrio, quam applausu & admiratione excipienda: at mysterio non vacat puerum quinquennem in deserto camelina pelle coopertum viuere, hocque est, quod illum tum coram Deo & hominibus admirabilem, tum dæmonibus terribilem reddit.

Sed mox vt desertum adijt, & antra subijt, Ioannes Iu- inque cavernis delituit, lucernæ instar cœpit cerna ardēs effulgere, & lumen suum eiaculari. Hinc est, & lucens, quod ab Euangelistis *lucerna ardens & lucens* dicatur; idque non sine ratione. Primo Christus Deus quidem absconditus erat. *Vere tu es Deus absconditus* ideo lucerna opus erat, qua illum detegeret, & ostenderet. Secundo, nondum exortus erat sol, sed iam iam exoritur; dum quis igitur ante auroram & crepusculum matutinum surgit: lucerna opus habet. Ioannes igitur, quod in mundum venisset, Deum illum absconditum reuelaturus, & nasceretur, antequam iustitiæ Sol Christus exoriretur, lucernæ nomine appellari potuit: *Erat itaque lucerna; sed ardens*, vt hinc manifestum fieret illum concionatorem ardētem zelo & virtute æstantem, qualis Helias, futurum, Hinc de se dictum, *Hic venit in virtute & spiritu Eliæ.* &c.

Sanctus Epiphanius & Dorotheus Martyr in vita Prophetarum, docent Angelos, dū

in cu-

in canis Elias adhuc puer cubaret, ignis illum fasciis inuoluisse; quo viso patrem consternatum Hierosolymam summum Sacerdotem super illo spectro consulendi gratia concessisse; ac diuino responsum oraculo, futuram pueri sanctitatem ac zelum hietacite denotari, significatumque illum aliquando ignem viuentem & penitus celestem aduersus Dei inimicos futurum. Idem de Ioanne nostro dicere possumus, cum lucerna ardens nuncupatus sit, atque hanc colligere illum ignem etiam aduersus Herodem & synagogæ principes fore; ideoque sanctus Basilii illi verba hæc Psalmistæ accommodare non veretur, *Ignis ante ipsum procedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Quam præclari hic sese nobis conceptus offerunt?

Psal. 96.

Lib. 8. in Commod.

Reges Persarum, teste Xenophonte, & Imperatores Romani, teste Herodiano, & aliarum etiam gentium Principes, cum solemniter incedere pompa per urbem vellent, aut triumphum agerent, ignem sacrum est sacrificijs sibi præferri iubebant. De Cyro ita scribit Xenophon; *P s illum ignem sequitur Cyrus.* Commodus vero Imperator Romanorum Lucillæ sorori, dum per plateas incederet, ignem præferri præcepit, *Honores sorori,* inquit Herodianus, *sua seruauit, nam & in theatris in sella imperatoria sedebat, & ignis eam precedebat.* è profanis sacra illustraturus dico, Deum hodie ignem, facem & lucernam hanc præmittere ad Messiam suiq; Filij maiestatem, dignitatem, diuinitatemque patefaciendam.

Exod. 28.

Comparatur Ioannes candelabro aureo.

Lib. 1. c. 7.

Psal. 132.

In Exodo candelabrum quoddam describitur aureum, in quo noctu diuq; corâ Arca Testamenti lucernæ arderent. Antiquitatem hanc cum nouitate comparans, ipse mihi persuadens, Sancti huius fortunam hietacite demonstratam; Ioannes enim velut nouum quoddam candelabrum aureum, id est, auro & virtutibus rutilans, coram Messia accensus est, & nocte dieque zelo & amore ante maiestatem illius inardescit, velut lampas quædam ante arcam fœderis. Et sane Tertullianus libro contra Iudæos, & Cyrillus de Ioanne Baptista locum illum Psalmi interpretantur, *paratus lucernam Christo meo,* & Euangeli-

sta ait, *Erat lucerna ardens.* Atq; vti fax illuminatum semper præcedit, ita Messiam suum hic præcurfor.

Pharao, dum Iosephum exaltare & honoribus afficere vellet, quadrijugo illum curru imponit, & præconem ante curru eunntiare imperauit, vt omnes genui flecterent, & supplice poplite adorarent, *Fecitque eum ascendere super curru suum secundum, clamante præcone, vt omne coram eo genui flecterent, &c.* Deus æternus, velut nouus quidam Pharao, Iesum Christum filium suum extollere & exaltare dum cupit, sublimem ac gloriosum incarnationis curru fecit conscendere, Ioannem Baptistam veluti præconem, ad populi animos disponendos, quo Messiam debito honore profecerentur, præmisit, *vox clamantis in deserto, parate viam Domini.*

Magnus Patriarcha Abraham, filio suo Isaac cum vxorem quæreret, antiquissimum famulorum suorum misit, nomine Elefer, qui foras profectus, puellam aliquam tanto adolefcente dignam inuestigaret; qui cum tandem ad fontem venisset, & Rebeccam vidisset, Domine nomine illam despondit, aurea & argentea illi offerens monilia, in aures & armillas, *Postquam autem biberunt Camelli, protulit vir in aures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondi siclorum decem.* Ad eundem modum Pater æternus coanubium filij sui dilectissimi cum Ecclesia celebrare volens, nobilissimum & maximum curfor seruorum & Prophetarum suorum, Ioannem Baptistam scilicet emisit, qui iuxta Iordanem commoratus Christum synagogæ despondit, & in aures illi dedit, id est, fidem (quia *fides ex auditu*) duos pendentes siclos, quod omnis religio & fides nostra circa duo potissimum versetur mytheria, Trinitatis & Incarnationis, armillas vero decem pendentes siclos, id est, præceptorum diuinorum, quæ decalogus complectitur, obseruatione, vasaq; aurea & argentea, id est, Sacramenta Confessionis & Baptismi, quæ Ioannes in deserto docebat, & executioni mandabat, quæ non nisi vacua erant vasa, liquore omni & gratia destituta, ac Sacramentorum legis Euangelicæ figura. Exclamem igitur in laudem tuam

tuam: O præcursores & prodromum vere admirabile! imo vero & Prophetam maximum!

Et sane pauper hic Anachoreta, pœnitens hic solitudinis incolæ, Propheta extitit, non tamen magnus ille Propheta, de quo in Deuteronomio Moyses ait, *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus &c.* Quem & ipse se negavit esse apud Iudæos percunctantes: *Propheta es tu?* id est, Tunc Messias, quem lex vetus sub nomine Prophetæ designavit? *Non sum*, inquit Ait tamen Christus illo absente, *& plusquam propheta* Quod ceteri Prophetæ vel prædixerint futura, ut Ioannes in Apocalypsi, Ieremias, Isaias, alijque; vel præterita, ut Moyses, qui spiritum quædam prophetico mundi originem & primordia descripsit, & quidquid in illius creatione contigisset, quamvis nihil horum aut præsens vidisset, aut ab alijs scriptum legisset, vel præsentia, ut Elifæus, qui Giez simoniam & munera à Naamo acceptionem etiam absens vidit & intellexit. At Ioannes Baptista in omnibus Prophetæ fuit, præsentia quidem prædixit & annuntiavit, cum Christum digito ostendit, dicens, *Eccæ Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.* Præterita autem, cum Iudæorum scelera coarguit, quæ tamen non viderat, nam ab incunabulis in desertum concesserat, dicens: *Genimina viperarum, quis vos docuit fugere à vultu atri?* Futura denique, cum Christi Domini passionem prædixit, *Hunc oportet crescere, in crucem sublarum; me autem minui, capite truncatum.*

Plinius testatur esse quoddam aquilarum aut miluorum genus, qui triduo, vel etiã quadriduo prius adorantur corpora, quam emoriantur, hoc an verum sit nescio, scio tamen Ioann. Baptistam, velut huiusmodi aquilam, eminens & multo prius Christi corpus præsensisse, quod in cruce moriturum erat. Atque hoc forsitan Christus intellexit, dum ait: *Vbi ceciderit corpus, tibi congregabuntur & aquilæ.* Magnus igitur Propheta fuit, qui de omnibus annuntiavit, ac vir vere & in omnibus magnus.

Et ita magnus, & quamvis fides non nisi circa ardua, difficilia, quæq; sensus & naturam

Bessai tom. 3. De Sanctis.

omnem excedunt, versetur, quæ proinde miraculis prius confirmari opus habent, quæ creantur, diuina tamen bonitas ita sanctum hunc exornare gratia, tali innocentia condecorare, tot eum virtutibus insignire, tamque in omnium oculis admirabilem voluit reddere, ut etiam non patris miraculis Iudæi illi crediderint, doctrinamque illius ut verissimam habuerint, *Hic venit, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum* Apostoli quidem docuere & promulgare Euangelium, & populos omnes ad sibi credendum inuitarunt, sed sermonem & doctrinam illorum sequentibus signis & prodigijs Christus confirmavit, *Prædicauerunt ubiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, &c.* At nullum Ioannes miraculum edidit, tamen mox ut Petrus & Andreas illum audire dicentem, *Eccæ Agnus Dei*, quamprimū crediderunt, & Christo relicto omnibus adhererunt.

Adeo quoque magnus fuit, ut vulgo à populo Messias sit habitus. Quare Christus infidelis nita cum patraffer miracula, quibus diuinitatem suam testatus erat, crederetque nullum adeo brutum & stupidum fore, quin ut talem se haberet, & quodam tempore ab Apostolis petijisset, *Quomodo dicunt homines esse filium hominis?* tanta de sanctitate Ioannis populi animis insedit opinio, ut responderint Apostoli, Ioannem pro Messia à populo haberi, *Atque Ioannem Baptistam.* Ne ea populi duntaxat erat sententia & opinio, sed Scribarum, Phariseorum, Sacerdotum & Doctorum legis, qui propterea legatos suos ad illum in deserto miserunt postulatos, *Tu quis Messias es tu?* Et Magnus quoque fuit iuxta ea, quæ in viro magno requiritur Euangelium. Nam apud Martham legitur: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum:* nam Ioannes & fecit & docuit: in deserto fecit pœnitentiam, & eandem quoque verbis edocuit. Huc respexit Angelus, qui natiuitatem illius annuntiavit, dum dixit: *Hic erit magnus coram Domino.* Cur non addis eadem opera Angele, magnum illum fore coram hominibus, cum crediderint illum suum esse Saluatorem ac Messiam? Magnus deinde fuit, quod sibi ipsi paruulus ille videretur, ideoque à Deo meruit exaltari, iuxta id, quod de Saule dixit

Ioanni etiam sine miraculis.

Ioan. 1.

Marc. 16.

Matt. 6.

Matt. 5.

Deut. 19.

Ioannes plusquam Propheeta.

Gen. 1.

4. Reg. 5.

Luc. 3.

Luc. 3.

Ioan. 3.

Vulturum genus cadauera præsentificans antequam emoriatur.

Matt. 24.

V. Creditur

ii. Reg. 5. dixit Samuel, *cum esses paruulus in oculis tuis, ecce caput in tribubus Israel factus es.*

Luc. 1. Adeo quoque magnus fuit, vt ad illum producendum, & in mundum inducendum Dei ipsius manibus opus fuerit, *Manus Domini erat cum illo.* Dauid vates, cum de totius vniuersam creatione ageret, ait Deum ad vniuersam hanc machinam procreandam non nisi digitos suos adhibuisse, *Quoniam videbo caelos tuos opera digitorum tuorum.* Isaias quoque de admirabili illa vi, quae vniuersam terram velut sphaeram in aere suspensam continet, agens, id Dei digitis fieri ait, *Qui mensus est pugillo aquas, & appendit tribus digitis molem terra.* Moses quoque in Exodo de muscarum Aegyptiarum plaga loquens, quae Pharaonis magos consternabat & in admirationem rapiebat, ait, illos percussos exclamasse, *Digitus Dei est hic.* Quin & apud Lucam, quauis magnum quid & sublime sit fugare & eiecere daemonta, Christus tamen hoc non nisi digitorum suorum opus esse dicit, *si in digito Dei euicio daemonia.* At dum de Ioannis Baptista natiuitate incidit sermo, ait Scriptura, vniuersam Dei manum in illo creando occuparam fuisse, *Manus Domini erat cum illo.* Dum Euangelium de mysterio incarnationis loquitur, quo nullum vnquam maius Deus edidit, ab omnipotentiae diuinæ brachio id profectum esse tradit, *Fecit potentiam in brachio suo.* Et apud Isaiam, *Brachium Domini cui reuelatum est:* Cum itaque de Ioannis generatione loqui incipit, à Dei manu id opus profectum testatur, de cæterorum autem productione agens, non nisi digitorum diuinorum opera esse asseuerat; vt hinc foret manifestum, sancti huius viri productionem incarnatione Iesu Christi esse quid inferius ac minus, at rerum cæterarum creatione quid maius & excellentius. Dicite igitur, an non vere magnus extiterit?

Nunquam quis Ioanne maior.

Rom. 8. Tam magnus siquidem fuit, nullus vnquam eo vt fuerit maior, aut caput manusve extulerit sublimius. Hoc vt intelligatur, sciendum est, Christum regulam & dimensionem omnium Sanctorum fuisse, secundum illud Apostoli, *Quos praesciuit, hos & praedestinauit conformes fieri imagini filii sui, &c.* In huius rei figuram vidit Ioannes in Apocalypsi An-

gelum, qui virga aurea ciuitatem illam caelestem ac beatorum, quam caelo descendentem viderat, metiebatur, muros scilicet, propugnacula, portas & propylaea, imo & lapides singulos. Virga hæc, & calamus mensurarius erat Christus, quo omnes lapides vitii, qui aliquando in aedificium caeleste cooperandi erunt, metiri debent; quoque lapis aliquis ad regulam hanc magis adaptatur, sitque conformior, eo & altiore in caelesti regno locum sortietur. Si igitur ostendero, cæteris nostrum Ioannem caput extulisse altius, & Christo conformiorem extitisse, satis me tunc ostendisse nullum eo vnquam maiorem aut digniorem extitisse putauero. Magdalenacum se ad hanc regulam & normam dimensa esset, non nisi ad pedes vsque pertigit, *stans retro secus pedes eius:* secuta deinde Hemorrhoidilla, non nisi ad fimbriam vestimenti peruenit: *Si teti, ero fimbriam vestimenti eius.* Thomas quoque accedens, sese vt dimitteretur, vt qui regulam non haberet, sed peruicax foret, ad latus vsque peruenit, & exclamat, *Domine meus & Deus meus.* Dilectus Discipulus etiam se ad Christi regulam metiri dum vult, eumque amplecti, pectus illius solum attingit. At Ioannes Baptista in Iordane ad illius se dimensus mensuram, manum vltra Christi caput extulit, ad quam altitudinem numquam homo aut Angelus potuit peringere. Quã obrem dicendum magnitudine illum omnes homines excessisse.

Denique adeo magnus fuit, illius vt magnitudo excellentiaque vix à quoquam comprehendi possit, & sanè Ioannes de illo loquens, affirmatiue quid esset dicere non est ausus, at negatiue quid non esset, *Non erat ille lux.* Quin & ipse Sacerdotibus & Leuitis Ierosolyma ad se missis non nisi negatiue respondit, *Non sum Christus, non sum Elias, non sum Propheta.* Diuus Thomas docet quidditatem & essentiam Dei, quod eius natura incomprehensibilis sit, potius per negatiua percipi, quid non sit, quam per affirmatiua quid sit. Idem de dignitate, magnitudine, & excellentia Ioannis Baptista dicendum, negationes ad eandem eandem exprimendam aptiores, quam propositiones affirmatiuas videri, ita hoc D. Augustinus ostendit, dicens: *Vis scire quid*

Luc. 70

Matt. 9

Luc. 24

Matt. 27

Ioan. 1

1. p. q. II. A. 5

ad 2.

De laude S. Ioan. *quid sit Ioannes, non est Deus, non est Christus, quasi illum omnium hominum & maximum & primum esse, deniq; & omnium creaturatum Phœnicem diceret.*

Amor Christi erga Ioan. *Addam hic velut appendicem, & magnitudinis illius coronidem, extremum & singularem, quo illum Christus est persecutus, amorem & dilectionem; ita quippe illum dilexit, ut et ventre virgineo conclusus, neminem ante illū visitare sit dignatus. Si rex potens & nobilis urbem aliquam ingressus, priusquam curru descenderet, ciuem aliquē inuideret, an non magni & insignis amoris & dilectionis signum foret? Christus Dominus Regum Rex, & Princeps cœlorum, magnam mundi huius urbem ingressus, priusquam sacro Virginis vtero egraderetur, Angelicum hunc virum visitare dignatus est; quod extremæ amicitia & dilectionis argumentum. Quin etiā audito illum ab Herode occisum, luctum induens, & non mediocriter contristatus in desertum secessit, *Quo audito abiit in desertum.* Et etiam dum vixit, non semel aut bis, ac sæpius illum coram omnibus Iudæis dilaudauit. Ecquæ gloria, tam præclarum facinorum suorum præconem pactum esse!*

In Sigeo. *Refert in vita Diui Hilarionis Hieronymus, Alexandrum Magnum cum ad Achillis tumulum constitisset, beatum ac felicem Achillem pronuntiasse: quod Poetarum principem Homerum gestorum suorum præconem nactus esset. Quanto igitur maior Ioannis nostri laus & beatitudo, ut qui Iesum Christum meritorem suorum sit præconem consecutus?*

Christo fidelis Ioannes. *Et sane si Christus Ioannem tanto est amore persecutus, non sine causâ id factum; nam ipse vicissim Christum etiam dilaudauit, ut qui priuatim & publice verum illū esse Messiam declarauit, se vero eundem esse negarit, honorem qui sibi à Synagoga legatis delatus esset, in illum transfundens, *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* in quo insignem erga Dei filium fidelitatem declarauit, cui Messia dignitatem ablatam ibant Iudæi, & in Ioannem relatum, fidelitatem inquam maiorem, quam Lycurgum vsurpasse tradunt historiz.*

Fidelitas Lycurgi. *Spartani enim Reipublicæ gerendæ peritissimi, cum Lycurgo, fratre illius Prolyde, de mortuo, regnum & coronam derulissent, Lycurgi viduaque defuncti prægnantem se esse comperisset, verita ne nouus rex hoc audito indignaretur ac moleste ferret, quod forsitan masculus ex se nasciturus regnum illi auferret, utpote legitimus hæres, nuntiavit illi, se, quo illius regnum firmaret, tutum & ab omni competitore liberum redderet, si modo vellet, factum vtero conceptum veneno aliquo, aut medicamento necaturam, aut abortum causaturam. Placere sibi consilium fraxit Lycurgus, at nollet se, ne tali sibi medicamento aliquod afferret detrimentum, quare infantem tempore suo nasci sineret, sibi iam nati extinguendi rationes non defuturas. Credidit illa, & cum egregium masculum peperisset, Lycurgus acceptum in fenatam derulit, atque hac ad Lacedæmonios vsus est oratione: *Ecce legitimum regum vestrum, Lacedæmonij, non vero me; quare regia ornamenta exuta puella imposuit posthumo.**

*Magna hæc profecto fuit fidelitas; non tamen cum Ioannis nostri fidelitate comparanda, regnum enim quod detrecauit, Messia regnum fuit, cumque omnes ut Messiam & redemptorem orbis illum haberent, declarauit, mox ut puer ille in mundum venit, non se, sed puerum Iesum Messiam ac verum illorum regem esse, *Medius inquit, vestrum stetit, quem vos nescitis, cuius non sum dignus siluere corrigiam calceamenti.* O fidelem seruum! ô virum admirabilem! ô mundi Phœnicem!*

Sed iam satis superque, auditores, de hac re locuti sumus, citius liquidè me verba quam materia defecerit, iam enim vox me & latera destituunt, cum Sancti huius merita perfectionesque infinitæ, immensæ & impetrabiles sint; sufficiat nobis virtutem & vitam illius admirari, & in natiuitate illius exultare. Benedicam⁹ & deprædicemus Zachariam, quod tam beati filij pater existat, gloriam Elisabethæ & felicitatem decantemus, quod tam admirabilem ediderit prolem. Erat apud Ethnicos moris, ut puerperarum fores coronis & floribus conuestirentur po-

Veterum stes: cuius quidem consuetudinis Saryricus consuetudo memiait: in puerperio. *Iuuen. sat. 9.*

— Floribus suspende coronas,
Iam pater es.

Elisabeth Zachariae Pontificis vxor e sanguine & stirpe Aaronis hodie filium enixa est Ioannem, hanc igitur consuetudinem sequamur, illiusque foribus & postibus coronas affigamus, atque omnigenarum laudum & praecursorum flosculos depromamus, & matri huic suam felicitatem congratulemur: simulque cum vniuersa Ecclesia hodie exultemus & laetemur. Pueri huius magnitudinem diuulgemus, merita illius deprecemur, natiuitatis illius mirabilia decantemus, & ad illum, quum modo in caelo gloriosus regnet, vota & supplicationes nostras dirigamus.

Ioannis epitheta.

O gloriose Ioannes! mundi miraculum, natura stupor & portentum, caelorum opus, terrae gloria, hominum Phoenix, sanctissima Trinitatis legatus, Messiae praecursor, eremi doctor, solitudinis incola, Eremiticorum princeps, Anachoretarum patrone & praefes, poenitentiae exemplum, pater pietatis, omnisque sanctimoniae Magister ac praecursor: tu olim propemodum in terra Angelle, ac modo in caelo omnibus Angelorum hierarchijs maior ac superior, Zachariae filii, Iesu Christi cognate, e magni Pontificis Aaronis stirpe progenite, iam inde ab incunabulis magne & eximie, ante natiuitatem prudens & discrete, in matris utero sanctificare, magnorum mysteriorum Propheta, Synagoga oraculum, ac totius vniuersi iubile & exaltatio; e toto corde & animo tibi hodie laudem offerimus; omni qua possumus pietate opem tuam deposcimus, orationes tibi nostras & preces omni humilitate ac demissione praesentamus. Tu nobis faueas, ac benignus esto, praesta, ut qua tum in caelo, tum in terra auctoritate ac potestate polles, sentiamus; tu scilicet, qui nunquam peccasti, tantam tamen fecisti poenitentiam, tamque in corpus tuum rigidus fuisti, fac obsecro, ut intercessione tua venia delictorum obtinere mereamur, quam ut obtineamus, ex hoc mo-

mento poenitentiam nos acturos pollicemur. Tu vanitatum contemptor, qui a teneris annis mundum deserens, in desertum & intimam solitudinem fugisti, fac ut exemplo & ad imitationem tui idem sequamur, si vero eandem forsitan non tam mature & cito inceperimus, ac te constat inceperis, ac stulte & stolidè maximam & potissimam vitae partem traduxerimus, tamè quoniam satius est seruis quam nunquam, praesta ut exiguum id, quod restat vitae ac temporis, in mundi fuga, vanitatum contemptu, & poenitentiae austeritatibus; seclatione impendamus, ut hac ratione salutem nostram in tuto collocemus, peccata fugiamus, gratiam mereamur, atque ita Deum mercentes, & virtutem sectantes, beatitudinis nos composites reddamus, quam sanctissimus Pater cum vniuerso Filio, & paraclito Spiritu sancto nobis dignetur concedere. Amen.

INFESTO GLORIOSORVM APOSTOLORVM PETRI ET PAULI.

Partitio.

1. Adferuntur figurae de mystico numero duodeuaginta.
2. De titulo & Petra Petri.
3. De incomparabili excellentia Petri ex potestate clauium.
4. De S. Pauli in praedicando auctoritate & scientia.
5. De gemina Doctoris gentium charitate.

Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Matth. 10.

FIGURA.

MOSI cum arcam Testamenti iam olim *Exod. 2.* facere praeciperet Deus, duos illi Cherubinos super propitiatorium collocare voluit, qui penitus aurei, & versis se vultibus intuentes, & alas extendentes, summum & dignif-